



R.P. Richardi Lyncei ... Vniversa Philosophia Scholastica

Complectens Metaphysicam, id est, Scientiam de Ente incorporeo, seu
transnaturali

Lynch, Richard

Lvgdvni, 1654

Liber IX. De ente incorporeo negatiue sumpto, siue spirituali incompleto,
id est, de anima rationali.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-95247](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-95247)

LIBER NONVS.

*De ente incorporeo negativè sumpto, siue spirituali incompleto,
id est, de anima rationali.*

TRACTATVS I.

*De essentia entis spiritualis incompleti,
siue animæ rationalis.*

CAPVT I.

*An anima rationalis sit essentialiter substan-
tia spiritualis creata?*

I

REVRES Hæretici, & Gentiles, quos referunt Conimbricenses in præfenti finxerunt, animam rationalem non esse substantiam, sed accidentariam commixtionem, siue temperiem primarum qualitarum. Cæterum ex principiis fidei, & rationis naturalis facile confutari possunt: si enim anima rationalis esset temperies primarum qualitarum haud dubiè à corpore dependens, atque adeò mortalis esset: non secus ac primæ qualitates à corpore dependent, mortalesque sunt: at animam rationalem esse independentem à corpore, & immortalem inferius constabit. Rursus evidens est, hominem ab equo substantialiter differre, & non tantum accidentaliter, sicut aqua calida, à frigida differt, at penes solam animam homo ab equo diuersus est: ea ergo substantia & non accidens est. Præterea anima rationalis dominatur temperiei primarum qualitarum, earumque inclinationem superat, vel cum ad timorem, vel cum ad amorem, aliamve passionem præcipitant: at temperies primarum qualitarum ad passionem aliquam inclinans, non magis potest sese ab ea reprehendere, sibiue dominari, quàm lapis in centrum naturali pondere ruens: anima ergo à temperie illa distinguitur: quod autem pereunte temperie primarum qualitarum, animal etiam illicò pereat, & quod pro diuersa earum temperie anima nostra diuersos affectus habeat, diuersaque inclinationes: quod inquam, utrumque horum ita se habeat, duntaxat arguit, animam nostram, ut vnitur corpori, utque in illo diuersimodè operetur primis qualitatibus, velut dispositionibus præuiis egere, non vero in iis essentialiter consistere.

2 Alij antiquorum finxerunt, animam esse quidem substantiam, non tamen spiritualementem, sed corpoream, & materialem. Hyparchus namque, Heraclitus, Parmenides & Zeno ignem esse dixerunt: Hippocrates, & Thales aquam: Empedocles, & Colytias sanguinem: Enesydemus, Anaximenes, Anaximander, Anaxagoras, & Varro aërem: Democritus, & Epicurus atomorum fortuitum coitum: Tertullianus corpus non elementare, sed alterius rationis, spiritum, nimirum ac statum materialem quidem, sed maioris subtilitatis, quàm sit elementum vllum; cum quo & alij Hæretici censuerunt. Oppositum tamen haud

R. P. Richardi Lyncei, Philosoph. Töm. III.

agré probari potest: namque ad Rom. 8. cap. dicitur: *Non secundum carnem ambulamus, sed secundum spiritum.* Et Eccles. vlt. *Reuertatur pulvis in terram suam, unde erat;* & spiritus redeat ad Deum, qui dedit illum. Item in Decretalibus tit. 1. de summa Trinitate cap. *firmiter credimus,* & in Concilio 6. Constantinopolitano actione 1. 1. definitur, animam nostram esse incorpoream. Rursus idipsum tradunt plerique Patres, quorum non paucos refert Valentia 1. p. disp. 6. q. 1. puncto 2. Vltius ratione probatur idipsum: quia in primis anima nequit esse materia, siue corpus incompletum: materia enim prima est eiusdem speciei in omnibus substantiis sublunariis, cum tamen anima rationalis omnibus non insit: materia etiam est imperfectissima quædam substantia, ac tantum non omnino passiva: anima vero rationalis est perfectissima substantia. Deique imago, & perfectissimarum operationum actiua. Secundo anima nequit esse corpus completum: tum quia alia homo constans anima, & corpore incompleto esset ens per accidens: tum etiam, quia si anima esset corpus incompletum, sicut de cælis nonnulli arbitrantur, non vniretur materiæ, eiusque forma haudquaquam esset. Tertiò: anima rationalis nequit esse forma aliqua existens dependenter à corpore nostro, atque hoc nomine corporea, ut tract. 2. cap. 1. parebit: nullus ergo modus defendendi corporalitatem animæ sustineri potest. Adde, nullum corpus cum alio penetrari posse: animam autem cum corpore nostro penetratam esse: anima ergo corpus non est, ut plerique aduersarij censent. Adde etiam animam esse intellectuam, liberam, inuisibilem, & indiuisibilem: quæ omnes rei spiritualis proprietates sunt, ut lib. 6. tractatu 2. ostensum manet.

3 Quod vero contra hanc sententiam firmissimè tenendam obiici solet in septima synodo generali actione 5. referri quendam S. Ioannem dixisse animas nostras, & Angelicas substantias esse corporeas, momentosum non est: nam Concilium doctrinam hanc non approbavit, sed duntaxat conclusionem, in cuius probationem illa adducta erat: nempe vsum sacrarum imaginum pium, ac laudabilem esse. Quæ autem obiicit Tert. lib. 2. de anim. ex Cleanthe: *Non solum corporis lineamentis, sed & anime notis similitudinem parentibus in filios respondere, de speculo scilicet morum & ingeniorum, & affectuum.* Item paulò infra: *Animam compati corpori, cui læso iectibus vulneribus, vlcerebus condolefcit: & corpus anima, cui afflicta cura, amore, angore, coherescit per detrimentum socij vigoris; cuius pudorem, & pauorè rubore, atque pallore testetur.* Hæc, inquam, & similia facile soluuntur: tantum enim probant, animam esse formam corporis, & ab eius dispositionibus quoad suos effectus pendere. Hinc enim fit, male disposito corpore affligi animam, & e contrariis item animas Patrum, & filiorum, ut corporibus eodem modo dispositis haud raro includuntur: sic etiam iisdem affectibus, & ingeniis multoties gaudere, ut optimè docet B. Thomas 2. contra gentes cap. 63.

Tr 2 Alij

Alij verò antiquorum alteram extremam demer-
tiam lequuti sunt, & animam particulam diuinæ sub-
stantiæ finxerunt. Verum hæc hæresis damnata est in
Concilio Braccarensi 1. cap. 5. contra Priscillianistas,
Manichæos, aliosque Hæreticos manifestis etiam ra-
tionibus refelli potest: Deus enim est summè simplex,
& indiuisibilis: concidi ergo nequit in partes, qua-
rum altera in se maneat, altera vero corpori humano
inspiretur. Rursus anima, vt mox constabit, creatur;
Deus vero increatus est: illa mutabilis per actus in-
tellectus, & voluntatis: hic omnino immutabilis:
illa malo, & culpa obnoxia: secus vero hic: inuicem
ergo distinguuntur.

5 Porro autem cum constet, animam rationalem non
aliquid Dei esse, sed potius eam à Deo productam
esse, refellenda sunt aliqua de eius origine dogmata.
Non pauci enim Ethnorum, & cum eis Tertullia-
nus, Apollinaris, Luceferani, alique Hæretici dixe-
runt, animam translatione, ac vi seminis effici. Cete-
rum placitum hoc à Patribus passim damnatur: dein-
de ratione impugnatur: quia cum dicitur anima vi
seminis traduci, ac propagari, aut sensus est, eam per
semen realiter produci, vt aliqui finxerunt, aut sen-
sus est, eam corpore generantis simul cum semine de-
cidi, & corpori genito communicari: ita vt Pater non
solum de propria materia, sed etiam de propria anima
aliquid in generationem filij conferant, vt alij volue-
runt cum Tertulliano de anima capite decimo tertio.
At neutrum sustineri potest: non hoc posterius, quia
anima est spiritualis, & indiuisibilis: fieri ergo ne-
quit, vt aliqua eius pars cum semine traducatur.
Deinde illud prius defendi nequit: cum enim ani-
ma rationalis sit independens à corpore, fieri certe
non poterit, vt à semine materiali, ac foetidissi-
mo spermate producat, præsertim cum supra vires
cuiusvis agentis naturalis etiam perfecti sit indepen-
denter à corpore aliquid producere, siue creare. Alij
cum Auicenna, & Seleuco putarunt, animas quidem
non generari vi seminis, sed creari: eas tamen non nisi
ab Angelis creari. Oppositum tamen constat tum
auctoritate Hilarij 10. de Trinitate. Bernardi serm. 27.
in Cant. Ambrosij. Chrysostomi. & aliorum Patrum: tum
etiam ratione, quia aut animæ rationales creantur à
solis Angelis, & non à Deo: & hoc repugnat Scriptu-
ræ 1. Genesios: *Formauit Deus hominem de limo terre,*
& inspirauit in faciem eius spiraculum vite: neque
non etiam lumine rationis naturalis, vt constat ex
iis argumentis, quibus omnem creaturam à Deo
immediatè produci in Physica demonstrauimus: aut
animæ rationales ab Angelis, & eorū creatore crean-
tur: & hoc etiam aperte falsum est: tum quia ad exi-
miam animæ perfectionem, & cum Deo similitudi-
nem videretur attinere, vt nisi à solo Deo non creetur:
tum etiam ob argumenta, quæ in idipsum afferunt
Scholastici 2. sententiar. dist. 1. & 1. part. quæst. 45.
art. 5. quoniam aliqua lib. 5. Physicæ tractatu secundo
adduximus.

6 Tandem Platonici, & Origenistæ, & aliqui He-
bræorum Rabbinici docent, animas à solo Deo crea-
ri, non tamen simul cum formatione corporis, sed
multo antè. Ceterum error hic damnatus est in Con-
cilio Braccarensi 1. c. 6. & ab Augustino, Cyrillo, aliis-
que Patribus reiecit. Rursus si animæ ante corpora
create sunt, aut ab æterno create sunt, vt Plato voluit,
aut aliquo temporis, vel incuntes, vel procedentes ar-
ticulo, vt Origenes, & Rabbinorum sax maluit: prius
autem dici nequit, cum nullam creaturam esse æter-
nam ex 1. c. Genesios Patres colligant: posterius etiam
nullam verisimilitudinem habet: si enim anima in
tempore creatur, quod eius creationi tempus aptius

esse potuit, quàm illud, in quo corpus eius susce-
ptum ultimo disponitur, & coagmentatur: Præterea
si animæ ante corpora create erant, ac longè post in ea
demersæ, maxime ob culpas prius admittas, vt Plato,
& Origenes opinati sunt: hoc commentitium, &
hæreticum est: nam in epist. ad Rom. c. 5. dicitur, per
vnum hominem peccatum introisse in mundum: &
c. 6. Iacob & Esau priusquam nati essent, nati mali,
aut boni egisse. Vltius si animæ ante corpora crea-
tæ erant, ergo in eo statu cognoscebant, & amabant:
cur ergo in corpore demissæ obiectorum prius co-
gnitorum non recordantur, confusæ saltem, ac imper-
fectæ: aut cur in obiecta prius amata peculiarem
quandam inclinationem consuetudine partam non
experiuntur? Alia argumenta in idipsum probandum
congeri solent, quibus tamen non vtor, eo quod pro-
bent, animam rationalem naturaliter, & sine miraculo
non posse prius creari, quàm vnatur corpori: & hoc
adeò exploratum mihi non fit: cur enim anima, & sine
corpore naturaliter conseruari, sic etiam sine illo pri-
mò creati nequeat, esto cōtrarium de facto vsuueniat.

CAPVT II.

*An anima rationalis sit essentialiter
forma corporis?*

7 Platoniorum non pauci, item Simplicius, Auer-
roës, & alij Peripatetici opinantur, animam ratio-
nalem non esse formam corporis, neque ei vniri phy-
sicè, sed solum ei præsentem adesse, atque assistere;
ac respectu eius ita se habere, sicut se habet eques res-
pectu equi; aut Nauarchus respectu nauis. Ceterum
error hic imprimis confutatur auctoritate Concilij
Viennensis sub Clemente 5. Clementina vnica de
summa Trinitate, §. 2. & Concilij Lateranensis sub Leo-
ne 10. sess. 8. Secundo impugnatur: quia si anima phy-
sicè vnita, & colligata corpori non esset, sed ei tan-
tum assisteret, sicut gubernator nauis, aut equo eius
domitor; cur cum separatur à corpore, tantam violen-
tiam sentiret: cum naua, & eques nauæ, & equo reli-
ctis non violentiam, sed requiem experiantur. Rursus
tertiò: si anima non vniretur corpori, sed ei tantum
præfens adesset, naua, aut equitis more; non esset,
cur læso, ac male disposito corpore operationes ani-
mæ propriè lederentur, cum nimis fatigante nauis, &
male affecto equo, vtriusque tamen gubernator ope-
rationes hominis proprias absque vicio exerceat: at-
qui læso corpore anima operationes proprias intel-
ligendi, & amandi non sine vicio, ac læsione exercet,
vt in phreneticis constat. Præterea quartò: si anima
non vniretur corpori, sed ei assisteret, ipsa esset totus
homo, vt aduersarij in concessio habent: huius autem
oppositum in Physica demonstratum manet. Vltius
quintò: si vera esset contraria sententia, corpus no-
strum naturaliter esse posset absque anima, & quauis
alia forma eius loco substituta: haud aliter ac nauis
sine naua vlla, & equus sine vlla equite, secluso
quouis miraculo esse queunt: ut quod corpus nostrum
sine anima & alia quauis forma ei substituta natura-
liter esse nequeat, & experientia ipsa constat, & in
Physica latè probatum manet. Argumenta aduersario-
rum facilia sunt, & à Conimbricensibus in præfenti
rectè soluuntur.

8 Enimverò aliqui Thomistæ cum Caietano 1. part.
quæst. 7. art. 1. etiam catholicè concedant, animam ra-
tionalem corpori vniri, eiusque formam esse; tamen vt
rationalem, ac intellectum corpori vniri negat: cum
enim in ea sit gradus intelligendi, & gradus sentiendi
penes

penes hunc, & non penes illum, illam vniti existimant. Ceterum communiter, & merito reiciuntur nam iuxta Concilium Viennense, & Lateranense anima intellectiua propriè vnitur corpori: ergo non penes gradum solum sentiendi à se realiter, aut virtualiter distinctum ei vnitur: aliàs non propriè, sed impropriè vnita corpori diceretur: natura enim diuina propriè non vnitur humanitati Christi, cui tamen penes subsistentiam virtualiter distinctam vnitur, & cogito solo animali longè posito non propterea homo, aut rationale ab eo virtualiter distinctum propriè cognoscitur. Rursus aut anima secundum gradum intelligendi non vnitur corpori, quia hoc non intelligit immediatè: & hoc friuolum est, quia anima secundum gradum sentiendi vnitur corpori: & tamen iuxta veriorum sententiam corpus non sentit immediatè, & verè, sed anima mediante corpore; de quo suprà lib. 7. tract. 1. cap. 3. Aut anima secundum gradum intelligendi non vnitur corpori, quia ad intelligendum eo non indiget: & hoc etiam non minus vanum est, quia si anima in statu coniunctionis cum corpore eo non egeret, ab eo non dependeret ad intelligendum, profectò læso corpore non ob id anima vitium vllum intelligendi, aut phrenesim pateretur.

C A P V T III.

An anima rationalis sit essentialiter diuisibilis: & an idipsum de reliquis animabus dicendum sit?

9 **A** Nnimam nostram indiuisibilem esse constat auctoritate Theologorum omnium, ac Patrum, quos refert P. Suarez. 1. de anima capite 13. idipsum etiam constat ex eo, quod omnis res propriè spiritalis, eo ipso indiuisibilis sit iuxta dicta superius lib. 6. cum de natura entis spiritualis ageremus; necnon ex eo, quod anima rationalis sit propriè spiritalis, vt nuper vidimus. Maior difficultas est de animabus perfectorum animalium, quas indiuisibiles esse cum Beato Thoma, & assecis, item cum Patre Suarez, & Conimbricensibus existimo, & hac ratione suadeo: in animalibus perfectis tanta ferè organorum varietas, & aequalis numerositas, ac in homine reperitur: quis satis explicare possit, quibus modis, non solum in homine, sed etiam in aliquibus belluis perfectioris naturæ; Quibus, inquam, modis, vt cum Claudiano Mam. lib. 3. de statu an. cap. 9. loquar, quoue situ triformitas cerebri coeat, iecoris amussis iaceat, regula lienis hæreat, stomachi libra pendeat, cordis plectrum feriat: qui venarum tramites, quoue textura, quæ neruorum origines, quoue compages, quæ ossium coitio, quoue compactio, quæ pulmonum caua, quæ tortuosa batulorum, enodibusque ligaturis explicita inflexiones, ac reflexiones. Consensus autem harum, aliarumque partium haud minus admirabilis est: nam ad visionem oculorum, aut tactus, alteriusve sensus immutationem illico sequitur imaginatio in cerebro: hanc autem dolor, aut delectatio in appetitu cordis: ad huius vero nutum confestim aut manus, aut pedes, aliave membra mouentur: at partium adeò dissimilium tanta consonantia, ac tam mira harmonia nulla ratione percipi, multoque minus explicari potest, nisi eadem indiuisibilis anima partes omnes lænet, ac gubernet: cur enim ex eo quod anima in oculis viuens videat, aut quæ per eam funditur, tangat; id animæ, quod arcem cerebri

R. P. Richardi Lincolniensis, Philosoph. Tom. III.

teneret, & à visu, tactuque distat, statim imaginari debeat? aut: cur ex eo, quod anima capitis aliquid vt contrarium, aut consentaneum apprehendat, anima cordis non solum distincta, verum etiam distans illud vel odisse, vel amare teneatur? Aut tandem si anima existens in manibus, pedibus, aliisve membris non despotice non cognoscit, quod anima appetitiua à se distincta in corde imperat, qui fieri, potest, vt ei obediat?

Huic argumento aliqui respondent. Primò consensum illum mirabilem partium diuisibilium animalis ab earum naturali quadam sympathia, non vero ab eiusdem anima indiuisibilitate proficisci. Negate nequeo eiusmodi sympathiam quamuis difficilem ad intelligendum, rebus tamen à Deo productis insitam esse: idque, vt alios omittam, perspicuè testatur Cassiodorus tomo primo, libro secundo variarum loquens de sympathia, per quam cytharæ neruus ad alterius sibi concinis, atque à se non parum distantis motum sponte contremiscit. Verum id esto ita se habeat, ad explicandam tamen consensionem partium animalis, parum, aut nihil momenti habet: namque sympathia duarum rerum, quæ quin altrinfecus influant, alterutrinque tamen patiuntur, non secus ac si vna in aliam influeret, est miraculum, & prodigium quoddam naturale, cuius latebram nulla vis humani ingenij penetrare potest: ergo sine necessitate adstrui non debet: eius autem nulla necessitas est, quin potius per indiuisibilitatem animæ belluina consensus partium dissimilium optimè explicatur. Deinde quod dicitur, animam appetitiuam cordis delectatione, aut dolore, aliove affectu tangi, quin aliquid apprehendat, aut imaginetur, nimirum per solam sympathiam cum anima imaginatiua, quæ à se distinguitur, atque in capitis camera à se distantis supereminet; manifestè confutatum est in simili, cum de indistinctione voluntatis ab intellectu ageremus.

11 Alij secundò respondent: cum oculus videt, aut auris audit, aut tactus læditur, illico visionem, auditionem, & tactum species suorum obiectorum producere, easque per neruos sensorios vsque ad animam imaginatiuam à se distantem emittere, vt per eas de sensibilibus externis iudicare possit. Cum autem pedes, aut manus, aliave membra ad impetum appetitus agitantur, id fieri per qualitates qualdam impulsiuas, siue loco motiuas, quas appetitus ad membra motum subitura rapidis meausibus emittit, vel potius ei aculatur. Quid autem ad animam appetitiuam spectat, eam quidem non in corde residere, sed in capite; neque ab anima imaginatiua distantem, vel distinctam esse.

12 Fateor, hanc doctrinam esse probabilem, & iuxta eam sufficienter explicari posse, quatenus aliquæ materiales animæ Deo possibiles partibus mirè inter se consentientibus content: ceterum quod de facto animæ eius conditionis non sint, hunc in modum suadeo. Primò enim quod anima appetitiua velut moderatrix partium corporis, cor eius medium obtineat, in eoque, & non in capite imperet, experientia ipsa constat, & in Physica ostensum manet. Quod autem sensationes externæ sensorum species internas non producant, neque ad imaginatiuam à se distinctam, & distitam emittant, breuiter probatur: siquidem nullus actus voluntatis producit habitum, nisi eum, qui concurrere, ac deponare possit ad alium actum eiusdem secum rationis: actus enim temperantiæ, verbi gratia, ad solius

T t 3 temperantiæ,

temperantiæ, non vero prudentiæ, aut humilitatis, alteriusve virtutis actus habitum relinquit: pari ergo visio externa non producit, nec emittit speciem impressam, nisi eam, quæ ad visionem externam conducere potest: ac proinde species phantasmatum elicitivas nequitiam producat, aut ad phantasmam emittere. Quod etiam anima appetitiva ubique sedem habet, haudquaquam moueat efficienter per qualitates impulsivas à se emissas membra distantia longe verius est: experientia enim constat, pedes verbi gratia, seipsos efficienter, & immanenter mouere, non autem ab extrinseco tantum moueri, vi impetus aliunde impressi, instar lapidis cum sursum proicitur: hoc certè, qui negare auit, modum omnem, omnemque actionem causis creatis abiugare & abiurare non dubitabit. Tandem quod anima appetitiva si non sit indiuisibilis, & tota simul in capite & in corde, hoc ipso debeat esse in solo corde, & non in capite, consequenterque non eadem cum anima imaginatiua, sed ab ea diuersa, satis constat ex dictis à nobis in Physica lib. 10. tractatu quarto, capite quarto & vltimo. Fateor quidem supposita diuisibilitate animarum materialium recurrendum esse, aut ad sympathiam, aut ad species qualitatesque impulsivas à membris ad membra transmissas, iuxta dicta etiam in Physica libro quarto tractatu quinto, ne scilicet, contra quam ibi à nobis constitutum est, sequatur, aliquid agere in distans quin agat in medio. At cum probabilius sit animas materiales, præsertim præstantiores, esse omnino indiuisibiles, sanè per huiusmodi indiuisibilitatem sufficientissimè explicari potest, & debet consensus ille mirabilis, quo alia animalium partes ab aliis quantumuis distantibus mouentur, atque reguntur.

13 Enimverò animas perfectorum etiam animalium diuisibiles esse censent Aletius, Durandus, Albertus, Gabriel, & alij antiqui: item Cardinalis Toletus, Hurtadus, & Ariaga, quos communiter recentiores sequuntur. Opponunt autem primò: si anima equi, verbi gratia, esset indiuisibilis præter vnā causam materiale in actu secundo, aliam insuper haberet: siquidem pro priori naturæ ad actionem nutritiuam, ab antiqua materia velut à causa materiali adæquata, pendet: pro posteriori vero naturæ signo à portione materiæ per nutritionem acquisitæ velut à causa materiali dependet: igitur in duplici naturæ signo, ac proinde in eodem instanti reali vtrumque complectente habet præter vnā causam materiale adæquatam, aliam vel adæquatam, vel certè inadæquatam: nec dici potest, ambas attemperare suum concursum: cum enim pro priori illo naturæ signo forma equi sit adæquatè extra omnes suas causas tam efficientes, quam materiales; certè materia tunc eam recipiens concursum non inadæquatum, siue temperatum in eam conferet.

14 Respondent aliqui, formam indiuisibilem equi causari tantum materialiter à materia primigenia, & duntaxat vniri ei, quæ per nutritionem acquiritur. Hæc tamen solutio reiicitur: quia vnio formæ materialis, & eius passio, seu causalitas materialis non distinguuntur: perperam ergo dicitur, formam equinam materiæ per nutritionem ad præ vniri, ab eave materialiter non causari. Rursus, permissa illa distinctione vnionis à causalitate materiali; exinde colligitur; formam materiale causari materialiter, ac pendere à materia, quia non habet operationes ab illa independentes, sicut anima rationalis operationes intelligendi, & amandi à materia independentes sortitur: forma equi in materia per nutritionem acqui-

sita existens, nullas ibi habet operationes ab omni materia independentes, quæve sine omni materia per se loquendo possent exerceri: ergo vel à materia nutritiua, vel à nulla materialiter causabitur. Deinde probabilius est, materiam primigeniam vi caloris naturalis paulatim absorberi: ruit ergo huius solutionis fundamentum. Tandem esto perseveret semper materia primigenia, tamen se sola formam equi recipere non potest, cum eius partes distantes, ac segregatæ sint, & partibus materiæ aduentitiæ passim intermixtæ. Respondeo ergo iuxta non paucos aduersarios, causam materiale impropiè, & metaphoricè causam esse: vnus autem effectus duplicem causam adæquatam impropiè, ac translatione talem nihil prohibet, licet duas causas adæquatas propriè, & strictè tales in effectum eundem concurrere inconueniat: huius autem doctrinæ exemplum habere potest homo, qui duplex esse totale proprium habere nequit: & tamen duplex; aut, si mauis, centuplex esse totale fictum, ac improprium habere potest; vel si fingatur esse leo, equus, vel aliud animal. Respondeo secundo, siue causalitas materialis propria, vel impropria sit, eam tamen ab vnione indistinctam esse: ac eandem formam habere posse duplicem vnionem adæquatam, exemplo animæ rationalis perspicue constat, ergo & fortassis duplicem causalitatem materiale adæquatam. Respondeo tertio, materiam non causare passiuè formam secundum se sumptam, sed præcisè secundum eius inesse, siue vnionem, ac penes compositum partiale, quod per vnionem constituitur, multiplex, ac diuisibilis est: vnde ex nostra assertionem non vnus effectus, sed multiplicis multiplicem esse causam materiale adæquatam tantum sequitur.

Opponunt secundo: ex indiuisibilitate animæ, v.g. equinæ sequi, eam causare seipsam immediatè: nam forma indiuisibilis equi est principium nutritionis: at nutrir eam, est educi eam ex potentia nouæ materiæ, eique vniri; sicut eam generari, est eam educi ex potentia materiæ primigeniæ, eique vniri: igitur forma equi est principium educens seipsam ex potentia nouæ materiæ, illique sese vnirens: cum igitur actioeductiua omnium consensu sit effectiua, & propria; sanè forma equi seipsam propriè causabit. Respondent aliqui, formam equinam à seipsa solum vniri materiæ aduentitiæ, à Deo vero ex illa educi. Contra tamen, primò: quia actioeductiua est actio productiua vnionis, siue causalitatis materialis: quæ in idem recidunt: forma ergo equi seipsam effectiue vnirens, se consequenter educet. Contra secundo: quia hæc solutio mutuam naturæ prioritatem inter formam equi, & eius educationem non euitat: ea enim forma producit in materia per nutritionem acquirenda, dispositiones præuias ad educationem: à Deo solo faciendam: ergo est prior natura dispositionibus ad educationem, ac proinde ipsa educatione: aliunde vero hæc more reliquarum actionum efficientium est prior naturaliter forma, quam educit. Multo ergo expeditius responderi potest argumento actionemeductiuam, præsertim pro formali sumptam, duntaxat terminari ad solam vnionem, & receptionem formæ, non vero ad ipsam formam secundum se: sicut omnium consensu actio adductiua rei non ad ipsam, sed ad eius ybicationem terminatur: vnde forma indiuisibilis equi seipsam educens, non tamen sui, sed alterius rei causa erit. Opponunt etiam aduersarij, formas equi, & leonis fore spirituales, si indiuisibiles sint. Verum huic argumento satisfactum est lib. 6. huius operis tract. 1. cap. 2. parum ab init.

16 Hactenus egimus de animabus animalium perfectorum: non nihil etiam dicendum est de animabus eorum

eorum animalium, quæ imperfecta, sive anulosa dici solent: eas autem indiuisibiles etiam esse verius arbitror. Ita enim sentiunt B. Thomas 1. part. q. 76. art. 8. Nemescius de natura hominis cap. 2. Simplicius, & Hugo Senensis; Item Fonseca lib. 6. Metaph. cap. 17. & Pomponatius de nutriente, & nutrito c. 10. item Martilius Fiscinus lib. 1. 6. & 8. de Theologia Platonis, ubi etiam hanc opinionem Platonis, Ammonio, Plotino, & Porphyrio tribuit. Probat autem primo autoritate Augustini lib. de quantitate animæ cap. 21. ibi: dum *viciniam solis attendo* (de cuius nomine superius egimus) *lucifer mihi occurrit, qui profecto in secundam, & tertiam syllabam sci- sus nonnihil priori parte significat, cum dicimus lu- ci: & ideo in hoc plusquam dimidio corpore nominis viuit.* Extrema etiam pars habet animam: nam cum ferre aliquid iuberis, hanc audis: qui enim posses obtemperare, si quis tibi diceret, *fer codicem, si nihil significaret fer.* Ac paucis intercisis. Ita existimandum, est secto vermiculi corpore, quanquam in minore loco pars eo ipso, quo pars erat, *viueret, non omnino animam sectam, nec loco minore minorem esse factam, licet integri animantis membra omnia per maiorem locum porrecta simul possederit.* Quasi diceret, secto corpore vermiculi, eius animam non secari, sed potius omnino destrui, eiusque loco duas alias minores manere: haud aliter ac diuiso sono, siue corpore nominis, eius significatio animæ instar habens non diuiditur, sed potius partes nominis duas alias significationes integras habent. Rursus animalia illa, quæ alij imperfecta, alij anulosa, alij infecta, alij reptilia, alij aliis nominibus appellantur: cuiusmodi sunt angues, colubri, lacerti, lumbrici, alijque vermes, membris mirè inter se consentientibus constant: lasque cauda quoduis eorum ad locum vulneris contorquetur, alterique parti condolet, ac prospicit: ergo etiam huiusmodi animalia: animabus indiuisibilibus viuunt. Rursus tertio multa animalia, anulosa & imperfecta re ipsa tamen perfectiora sunt, quam aliqua animalia, quæ perfecta appellantur: verbi gratia basiliscus est multo perfectior quam talpa & serpens quicunque quam musca: at animalia omnia perfecta animabus indiuisibilibus constant: ergo à fortiori, &c.

17

Verum animas animalium imperfectorum diuisibiles esse tenent, non solum ij, qui de omnibus id existimant, sed etiam plerique eorum, qui animas beluinas magis perfectas indiuisibiles esse tuentur. Potissimum verò nostra sententia refragantur Thomistæ ferme omnes, quibus adde Suarez & Conimbricenses. Obiiciunt autem vermiculum sectum viuere: anima ergo eius secatur, atque diuiditur. Respondeo tamen in eo euentu animam vermiculi neutiquam diuidi, sed potius animo destrui, eiusque loco duas animas adæquatas minores tamen denuo produci. Instant tamen aduersarij, nullam causam earum productiuam assignari posse: haud enim mucro secantis vermiculum simul cum earum vi corruptiuam vim effectiuam habet: haud etiam anima perempta, cum nulla res quo non existit instanti, operari possit. Respondeo: sicut cum iugulum hominis mucrone resoluitur, nec mucro formam substantialem cadauericam denuo introductam efficit, neque etiam anima rationalis; alias hæc formam sui expulsiuam produceret, sed solum causa prima: ita similiter, &c.

C A P V T I V.

An anima rationalis essentialiter una, vel multiplex, æqualis, vel inæqualis in omnibus hominibus sit?

A Nimam rationalem, & intellectuam esse simul 18
vnam, eandemque in omnibus hominibus tenent cum Auerroë 3. de anima commento 5. plures Peripatetici. Caterum error hic damnatus est in Concilio Lateranensi sub Leone X. sess. 8. damnamus, & reprobamus omnes asserentes, animam intellectuam mortalem esse, aut unicam in cunctis hominibus, & hac in dubium vertentes. Rursus secundo ex contraria sententia vel potius amentia sequeretur, eandem indiuisibilem animam rationalem simul assentiri, & dissentiri; amare, & odisse, in peccato, atque in gratia esse: hæc enim prædicata inuicem repugnantia diuersis simul hominibus conueniunt: at non ratione diuersarum animarum: ergo ratione vnius, & eiusdem. Haud etiam minus absurdè de unitate animæ intellectuæ philosophari sunt cum Platone eius discipuli: finxerunt enim, vnam, eandemque animam in diuersis hominibus successiue existere, & de corpore in corpus post aliquod temporis spatium transmigrare. Verum hic etiam error damnatus à Concilio Lateranensi eadem sessione: ibi enim definitur, animam rationalem pro corporum, quibus infunditur multitudine, singulariter multiplicabilem, & multiplicatam, ac multiplicandam esse. Adde etiam, nos recordaturos corporum, in quibus prius vixeramus: ut enim recte arguit Tertullianus, cur solus Pythagoras alium, atque alium recognoscat, & non ego? aut si id priuilegium Philosophorum est, & vtrique Græcorum, quasi non & Indi, & Scythæ philosophentur, cur neminem se retro meminit Epicurus neminem Crisippus neminem, Zeno, ne ipse quidem Plato, quæ forsitan Nestorem credidissimus ob mella sacundia.

19

Porro animam in omnibus hominibus æqualem substantialiter esse pronuncio cum Toletio lib. 3. de anima disputation. 18. ac Patre Molina 1. part. tract. de opere sex dierum disputation. 33. & aliis scholasticis antiquioribus, quos Conimbricenses 2. de anima capite primo quaestion. 5. referunt, atque etiam problematicè sequuntur. Hanc autem sententiam ita probo: animæ omnium sunt eiusdem speciei: at res eiusdem speciei nequeunt esse inæquales: ergo, &c. Minor & est à nobis alibi satis probata, & amplius constabit ex dicendis hoc ipso cap. paulo infra. Maior suadetur: substantia quidem genus summum, maximeque patens est, solumque genus: homo ergo species ima, species solum. Rursus, quod plus est, Christum etiam esse hominem eiusdem speciei cum reliquis hominibus saltem ratione naturæ humanæ docent omnes Theologi cum B. Thoma 3. part. quaestion. 2. artic. 5. ibi: *dicendum, quod Christus dicitur homo vniuerso cum aliis hominibus, vtpote eiusdem speciei existens secundum illud Apostoli, in similitudinem hominum factus.* Verum quid moror in probatione maioris, quam apud nos in confesso esse statuunt Conimbricenses ubi supra.

Responderi solet tamen nostro argumento, speciem omnem logicam, infimamque esse rationem quandam communem, in qua eius inferiora parum differunt, & moraliter, ac spectato prudenti iudicio, & æstimatione non differunt, sed conueniunt: cum

20

T t 4 ergo

ergo in ratione hominis in communi, omnes in particulari parum differant, parumque inaequales sint; atque adeo moraliter in ea potius conueniant, quam differant: inde est, ut non obstante exigua illa animarum, & hominum inaequalitate, ac diuersitate omnes homines sint eiusdem speciei etiam logicae, & infimae. Contra tamen primo: nam quauis inaequalitas animarum, etiam si minima sit, duas constituit series animarum: quarum aliae aequales sint inter se, non vero aliae, & e conuerso. Demus animam Petri inaequalem esse animae Pauli, an non poterit Deus creare multas animas priori aequales, multasque posteriori etiam aequales: anima ergo Petri, quamuis minimo perfectionis interstitio differat ab anima Pauli, continetur tamen sub aliqua ratione communi essentiali, sub qua anima Pauli non continetur; ea videlicet, quae priorem animatum seriem, non vero posteriorem claudit: ratio autem illa communis essentialis est specifica, ut constat ex definitione speciei: ergo anima Petri sub aliqua specie continetur, qua non continetur anima Pauli: ac proinde ab ea specie differt.

21 Rursus secundo: duo numeri, licet minimam inter se inaequalitatem habeant, tamē specie differunt: ergo etiam duae animae, siue duo homines quocunque perfectionis excessu etiam minimo, specificam differentiam habebunt. Consequentia videtur bona. Antecedens suadetur: quia numerus ternarius, & numerus quaternarius minimam habent inaequalitatem, utpote qui sola unitate impares sunt: & tamen omnium consensu numeri specie diuersi sunt. Tertio tandem impugnatur ea solutio: quia speciem logicam, & moralem confundit, omnemque inter eas rationem differentiae de medio eximit: species enim moralis est illa, non in quo inferiora conueniunt omnino, sed cuius inferiora differentiam minimam, ac moraliter non aestimabilem habent: etiam si iuxta aduersarios est species logica, & atomica: altera ergo ab altera diuersa non erit. Quod autem hoc absurdum sit, constat tum communi scholasticorum omnium suffragio, tum etiam, quia animus furandi decem auri ducata, animusque furandi totidem ducata argenti, effectus sunt specie logica diuersi, ut liquet ex diuersitate obiectorum, in quae feruntur: & tamen non sunt affectus diuersi specie morali, eo quod diuersitas illa logica, vel physica inter aurum, & argentum moraliter non sit aestimabilis, & vtriusque dispendium proximo aequale damnosum sit: quare in confessione non tenetur quis exprimere, an aurum vel argentum surripere voluerit, ubi damni alieni, & lucri proprie quantitatem exprimat: iam ergo species logica, & species moralis longe diuersa sunt.

22 Vtcrius nostra sententia suadetur: quia si ob aliquam rationem animae humanae essent inaequalis perfectionis substantialis, praecipue quia aliae haberent organa corporea perfectiora, & consequenter longē perfectius operarentur, quam aliae: ac eiusmodi ratio nulla est: nam eadem anima diuersis temporibus inaequalia organa, inaequalesque operationes habet, prout nimirum corpus puerile, aut senile, sanum, aut aegrotum informat: eodem etiam tempore una, eademque anima in capite, & corde melius organata, & perfectius operatiua est, quam in ceteris membris: inaequalitas ergo organorum, & operationum inaequalitatem substantialem animarum haud quaquam arguit. Confirmatur, & declaratur, quod anima in statu pueritiae, ac senectutis, sanitatis, & aegritudinis inaequalia organa, inaequalesque operationes absque ulla in se inaequalitate habeat, ex eo

oritur quod sit in quocunque horum statuum eadem numero; identitas autem numerica cum inaequalitate non cohaereat: ac anima rationalis est eadem specie in diuersis hominibus: & identitas specifica cum inaequalitate impossibilis est: ergo, &c.

Animas tamen humanas esse inaequales perfectione tueretur Caietanus Capreolus Ferrara, alique Thomistae. Item Albertus, & Richardus, Maior, Lichetus, & alij apud Conimbricenses articulo primo. ubi supra. Opponunt autem, genus contrahi per species inaequales: quidni ergo & species per indiuidua inaequalia contrahi debeat, aut certe possit. Respondeo tamen, genus aliquando contrahi posse per species aequales, ut ostensum à nobis est in Dialectica libro nono, tractatu septimo, capite primo. Deinde Aristotelem 2. posteriorum dixisse, sub genere latere equiuocationes, neutriquam vero id de specie asseruisse: quasi ratio generica, non vero specifica inferiora inaequalis perfectionis sub se implicite contineat.

Opponunt secundo, animas humanas inaequales operationes, ac dispositiones organicas fortiri: ipsae ergo substantialiter inaequales erunt: quia ratione animae leonis, & animae muscae inaequalis perfectionis substantialis sunt, haud dubie quia inaequales dispositiones corporeas, inaequalesque operationes fortuntur. Verum huic argumento factum est satis in probatione postrema nostrae sententiae. Exemplum autem inaequalitatis repertae inter animam leonis, & animam muscae, nihil urget: quia idcirco eiusmodi animae materiales substantialiter inaequales sunt, quia per se, & non per accidens corpora diuersa, & inaequaliter organata habent: ac sicut naturaliter esse nequeunt sine aliquo corpore, mirandum etiam non est, quod alterutra eorum sine corpore, in quo est, esse non possit: tum etiam insuper, quia ambae sunt diuersae speciei: haec autem rationes in animabus rationalibus non militant.

Opponunt tertio absurdum videri, animam Iudae esse adeo perfectam, ac animam Christi Domini, praesertim cum facultas Parisiensis id non solum tanquam absurdum, verum etiam tanquam erroneum notet his verbis: *Si quis dicat, omnes animas ab origine esse aequales, errat: quia aliam animam Christi non esset perfectior anima Iudae.* Respondeo tamen, absurdum non esse, ut etiam ex aduersariorum principiis manifeste deduco, iuxta quae Verbum vniri potuit hypostaticè alicui animae, quae imperfectior esset substantialiter anima Iudae; praesertim cum grauissimorum Theologorum sententia sit, Verbum naturae etiam irrationali vniri potuisse: si ergo non est absurdum iuxta aduersarios, animam Iudae esse substantialiter perfectiorem anima Christi, non huius, qui nunc est, sed qui esse potuit, si aliam naturam humanam assumeret, quo iure absurdum iudicant, quod animam Iudae modo aequalem substantialiter animae Christi asseramus? Et quidem aduersarij quantum perfectionis, & umbratilis gloriae adiungunt Christo, qualis nunc est, tantum ei detrahunt, non qualis nunc est, sed qualis esse posset, si quoad humanitatem alius esse posset: & quod caput est, imperfectionem aliquam à nullo Catholico iuxta ipsos sine errore admittendam Christo non in hoc quidem statu, sed in alio tamen asserunt. Quod autem ad facultatem Parisiensem attinet, eius articuli ultra sequamur non transeunt. Tandem opponunt

nunt illud Sapientiae 8. *Puer eram ingeniosus, & fortitus sum animam bonam; & cum essem magis bonus, veni ad corpus co inquinatum.* Respondeo, hæc verba non de maiori perfectione substantiali accipienda esse, quasi diceret Salomon, se animam substantialiter perfectiorem aliis animabus fortitum fuisse, sed de maiori perfectione accidentali, & cum maiori gratia, & sanctitate, ut Rabanus, Lyra, & Glossa, Interlinealis super eum locum animaduverterunt.



TRACTATUS II.

De ente spirituali incompleto, siue anima rationali, quoad statum separationis.

CAPUT I.

An anima rationalis separata à corpore naturaliter conservetur, siue immortalis sit.

ANIMAM nostram immortalem esse, & post mortem corporis æternum vivere, Aristotelici, Platonici, Pythagorei, & vniuersum omnes Philosophi, excepto Epicureorum gregè, vniuersim consentiunt. Eandem veritatem Scriptura, Patres, & Concilia perspicue tradunt, ut euadere ostendit præter alios Valentia prima parte disputatione tertia, quaestione prima, puncto tertio. Auctoritatem tanti habendam ratio naturalis minime confirmat. In primis enim anima nostra spiritualis est, ut suo loco ostensum manet: ergo independens à corpore, & immortalis. Secundo: sicut omnes animæ creatæ corruptibiles impediri possunt, ut non existant; ita etiam ab operando impediri possunt: qua ratione aqua ne infugidet, ab igne prohibetur; & ignis ab aqua, ne calefaciat: atque idem de reliquis causis indicium est: si ergo anima rationalis destrui, & ab existendo naturaliter impediri potest vi alicuius causæ creatæ, eius nimirum, quæ corpus destruit, poterit similiter non destructa impediri ab aliqua causâ creatâ, & naturali, quominus operationes sibi proprias exerceat: hoc autem est manifestè falsum: anima enim nostra quoad actus internos intellectus, & voluntatis sibi proprios soli creatori & nulli creaturæ subdita est.

Rursus tertio: animæ materiales, & corpori immerse non nisi bona corporea, & sensibilia appetunt, his solis inhiant, in his solis voluptatem sectantur: nullum enim altioris inclinationis vestigium in animabus belluinis apparet: at anima rationalis bona incorporea, & superioris ordinis experientia teste appetit: non ergo materialis, & corruptibilis est. Quarto: si anima esset mortalis, summum eius malum esset mors, utpote quæ eam omni bono suo spoliaret: atque adeo præsens vita esset summum eius bonum: at hoc luminis rationis naturalis aperte repugnat, cum plures vitam libertati, aut famæ, aut

honestati postponant, & pro his bonis mortem non recusent: nisi autem hæc bona multoties huic vitæ præstarent, esset contrarietas eorum præ hac electio. Quinto: ipsa experientia aperte docet, nullo bono caduco, ac præsentis vitæ proprio nos satiari: signum igitur est, huic vitæ aliam superesse, cuius bona nos possint satiari: haud enim credibile est, animam rationalem tam excellentis naturæ, & conditionis nullum habere bonum, quo expleri possit, nullumque finem, in quo conquiescat. Huc spectat illud Augustini libro primo Confessionum capite primo. *Fecisti nos ad te, & inquietum est cor nostrum, donec perveniat ad te.* Sexto: nisi anima sit immortalis, Deus erit iniustus: boni enim in hac vita multis calamitatibus, & meritis pro honestate affliguntur: è contrario impij, & scelerati homines omnibus naturæ, & fortunæ bonis affluunt: si ergo toti condimur in tumulos, & nihil nostri superat: scelera inulta, & bona opera inhonorata manebunt. Huc spectat illud Sancti Petri apud Clementem lib. 3, recognit. *aut Deus iudex non est, aut anima immortalis est.*

Rursus septimo cum Tertulliano in libello de testimonio animæ sic argumentor: *omnibus fere, inquit, ingenta est fama post mortem cupido: longum est vetexere Curtios, & Regulos, vel Græcos viros, quorum innumera elogia sunt contempta mortis propter posthumam famam: quis non hodie memoria post mortem frequentanda ista studet, ut vel literatura operibus, vel simplici laude morum, vel ipsorum sepulchrorum ambitione nomen suum seruet: unde anima hodie affectaret aliquid, quod vel post mortem, & tanto perire pararetur, quo sit usura post obitum, si nihil de postero sciret? Hactenus ille.* Tandem argumentor, quia contrarium dogma ex vita humana probitatem omnem, & omnem morum puritatem tollit: & è conuerso ad omnem immunditiam, impuritatem, iniustitiam, & impietatem fiana laxat: verum ergo esse non potest: veritas enim, & sapientia homines ad pietatem, & iustitiam accendit, & à vitijs avertit: alias non veritas, sed fallacia; non sapientia, sed insipientia esset. Plura alia, & quidem validissima pro catholico dogmate suppetunt argumenta, quæ tamen breuitatis causa prætermitto. Reliquum est, ut oppositis breuiter respondeam.

Igitur pro Epicureorum sententia immortalitatem animæ rationalis negante, sit primum argumentum. Anima senescit, & ægrotat: senectutis in ea signum est, eam post multos vitæ annos in corpore emensos auro fessam fatiscere; ac neque adeo perfectè, aut viride cogitare, videre, audire, ambulare, &c. Ægritudinis in ea manifestum est indicium, quod ægrotante homine dolores patiatur non modicos. Porro autem senectus, & ægritudo, morbiu dispositiones sunt ad mortem, mortalisque subiecti sunt accidentia, ut vel in corpore patet: anima ergo est mortalis. Respondeo, animam secundum se sumptam non senescere, nec ægrotare: quare ve disputat Aristoteles primo de anima, si senex iuuenis sumeret oculum, eius anima non minus acutè cerneret, quam iuuenis cuiusvis anima. Par est ratio animæ corporis ægrotantis comparatæ ad animam hominis sani. Proinde non est, quod anima secundum se sumpta sit mortalis. Quocirca anima tantum ut coniuncta corpori, & reduplicando supra eius instrumenta, & sedes senescit, atque ægrotat: neque amplius probant cõiecturæ in argumento contrario adductæ: unde non nisi sub ea reduplicatioe erit mortalis, & interitui obnoxia: id autem non

tam

ram est, eam esse mortalem, quam corpus, illiusque organa posse interire, ac mori.

5 Secundum argumentum contrarium. Pars praefertim heterogenea separata à toto suo nequit conferuari, non mori nequit: ut liquet in manu, aut pede, alioque humani corporis membro abscisso. Atqui anima est pars hominis, eaque heterogenea: igitur separata à corpore, & consequenter à toto homine nequibit conferuari, atque adeo morietur. Respondeo, non ideo partem integram hominis, manum verbi gratia, à toto separatam interire, ac mori debere, quia utcumque pars est totius, à quo separatur: sed quia ita est pars cuiusdam totius maioris, ut sit in se totum quoddam minus, ex partibus inuicem dissolubilibus constans, nimirum ex materia prima, & anima illud informante: at anima rationalis est indivisibilis, nec constat partibus, quae possint dissolui, aut dissolutione sua obitum, ac mortem patere: haud ergo est, cur merito separationis à toto homine debeat esse morti, aut interitui subiecta.

6 Tertium argumentum. Hoc ipso, quod anima dependeat à corpore in operando, & dependebit ab illo in essendo: quo pacto creatura omnis non minus habet dependentiam à Deo quoad esse, quam quoad operari. Sed anima dependet à corpore in operando: quippe sine quo nec potest videre, nec audire, nec odorari: ergo, &c. Aut paulo aliter: si posset anima viuere, & esse extra corpus, sane & posset extra illud, ab eoque separata, videre, audire, odorari, ceterasque operationes similes exercere: consequens autem est absurdum: cum posita extra corpus careat oculis, auribus, naribus, aliisque id genus instrumentis, sine quibus nec videtur, nec auditur, nec aliud minus vitae obitur. Respondeo, & perquam facile, si anima quoad omnes suas operationes à corpore dependeret, fore quidem, ut ab eo dependeret quoad esse, & sine illo nequaquam viuere posset, aut esse: non secus atque creatura non potest sine dependentia à creatore suo viuere, aut esse: quia scilicet quoad omnes, & singulas operationes suas ab eius cooperatione, & concursu dependet. At anima rationalis non dependet à corpore quoad omnes suas operationes: multas enim habet spirituales, & eiusdem rationis cum Angelicis; quas quidem separata à corpore potest exercere: quamvis ergo aliquas habeat, penes quas dependet à corpore, ut sunt videre, audire, &c. Non ob id quoad esse, ac viuere dependebit à corpore, sed potius sine eo vitam & immortalitatem poterit sortiri.

7 Quartum argumentum. Si anima moriente corpore non moritur, cur corporis mortem, cur tecti ruinam, aut incendium, vel naufragium, aliaue pericula tantopere timet? mors enim, & eius pericula varia non animae sunt, sed corporis, & ad hoc, non vero ad illam iuxta nos pertinent: non est ergo, quod ea metuat. Quo pacto si periclitante naue, nec nauita, nec eius bona periclitarentur; sane non esset, cur illum pericula maris terrent, aut naufragij metus sollicitaret. Respondeo, id esse proprium cuiuscunque partis, ut non solum sibi, sed etiam toti suo prospiciat, eiusque interitum, & damna praecaveat: sic aqua contra inclinationem in proprium, ac particulare bonum, sursum tamen ascendit: ad replendum utique vacuum, ac propter bonum vniuersi, cuius est pars quaedam. Nihil mirum ergo est, si anima appetat conseruationem totius hominis, quam veluti pars constituit, mortemque eius, atque pericula timeat, tamen moriente homine, aut in periculo,

sive discrimine aliquo posito ipsa non possit mori, aut periclitari. Haec autem ratio non procedit in nauita & naui: haud enim nauita est in nauis, ut pars in toto, quemadmodum iuxta omnes est manifestum.

8 Quintum, ac postremum argumentum deduci solet ex variis sacrae Paginae locis. Nam Ecclesiastes cap. 3. dicitur: *unus interitus est hominum, & iumentorum, & aqua vtriusque conditio: sicut moritur homo, sic & illa moriuntur: similiter spirant omnia, & nihil habet homo iumento amplius.* Et Sapientiae ca. 2. consimili ratione dicitur: *quia ex nihilo nati sumus, & post hoc erimus, tanquam non fuerimus.* Ac denique 1. Timoth. capite secundo de Deo praedicatur: *solus habet immortalitatem.* Haec tamen non vrgent, nec contra veritatem catholicam negotium faciunt. Ad primum, & secundum est Salomonem adductis Sapientiae, & Ecclesiastes locis haud loqui ex propria persona, sed potius more concionatorio ex persona impiorum, qui ut libetius peccent securiusque in omne genus nequitiae sese effundunt, animas esse mortales fingunt, sibi que vanissime persuadent. Ita praedicta loca interpretatur S. Thomas 1. part. quaest. 65. art. 6. ad 1. Dicit etiam potest cum Hieronymo, sermonem in iis esse non de anima solitarie, ac secundum se sumpta sed de totalitate, siue toto homine ex ea, & corpore per vtriusque unionem resultante. Ad tertium locum ex Paulo obiectum dicendum est, non aliud eo confici, quam quod solus Deus habeat immortalitatem per essentiam: hoc autem non vetat, quominus anima sit immortalis per participationem: & quidem licet ea immortalitatis participatio debeat anima ex natura rei, nihilominus quodam sensu dici potest, eam esse immortalem per gratiam: etenim donum creationis gratia dici potest, ac debet, teste Aug. ep. 93. ad donum autem, seu beneficium creationis reduci debet ea, quae creationem naturaliter consequuntur: participatio ergo immortalitatis animae semel creatae ex natura rei conueniens, discenda est gratia; creationis utique, non redemptionis: adeoque non est, cur ea tenus anima non dicatur immortalis per gratiam, uti constitutum est. Alia argumenta aduersariorum omitto, quia nullius momenti sunt: qualia enim argumenta, qualesue ratiocinationes eorum esse possunt qui negata animarum immortalitate, beluis irrationalibus ventri deditis similes se esse profitentur.

CAPVT II.

Enodantur aliqua dubia de separatione animae rationalis.

9 QVares primo, an separatio animae violenta sit? Quaestionem hanc late tractant Conimbricenses. tract. de Anima separata d. 2. & Pater Suarez ibid. lib. de anima, ac Pater Hurtado disputatione 18. de anima sect. 3. Breuiter tamen dicendum puto, animae secundum se sumptae separationem à corpore naturalem esse, & unionem etiam cum corpore ei naturalem esse: non tamen pro eodem, sed pro diuerso tempore: cum enim sit forma corporis, actusque incompletus per illud complebilis, & quoad operationes sensitivas ab eo dependeat, nec sine eo possit substantialiter generare, aut hominem nobilissimum animal producere; sane hoc ipso ei vniri aliquando postulat, ut scilicet ab eo velut subiecto perficiatur, ac compleatur, utque dependenter ab illo multis operationibus

operationibus tum accidentalibus, tum etiam substantialibus fungatur. Cum vero sit spiritualis, & independens à corpore, & multas habeat operationes nobilissimas ab eo independentes, profecto separationem ab eo naturaliter exigit, ut nimirum in eo statu se, Deum, & Angelos perfectius cognoscat, & amet. Hac ratione materia prima naturaliter appetit hanc formam substantialem, necnon aliam longè diuersam, & contrariam; pro diuersis tamen temporibus. Quare separatio animæ secundum se sumptæ violenta non est. Qui autem inter separationem in fieri, & separationem in facto esse distinguunt; & illam, non hanc animæ secundum se violentam esse censent, aperte hallucinantur: cum enim altera separatio ad alteram ordinetur, vel ambæ naturales, vel ambæ violentæ ei erunt.

10 Caterum anima rationalis, ut vnita semel corpori dependenter à corporeis dispositionibus, vnionis conseruationem postulat, ac naturaliter appetit: hoc enim perinde est, ac dispositiones, & vnionem ipsam sui conseruationem poscere: vnde mors, seu separatio animæ ita sumptæ semper violenta est, et si pro varietate causarum aliquando naturalis esse videatur. Huc spectant illa Tertulliani verba de anima: *Proinde etsi varij exitus mortis, ut est multimoda conditio causarum, nullam ita dicimus lenem, ut non vi agatur: ipsa illa ratio operatrix mortis, simplex licet, vis est. Quid enim? quæ tantam animæ, & carnis societatem, tantam à conceptu concretionem sororum substantiarum diuellit, ac dirimit. Nam etsi præ gaudio quis spiritum exhalet, ut Chylon Spartanus, dum victorem Olympiæ filium amplectitur, etsi pro gloria, ut Clydemus Atheniensis, dum ab Histrionibus ob præstantiam auro coronatur, etsi per somnum, ut Plato; etsi per risum, ut Publius Crassus: multo violentior mors, quæ per aliena grassatur, quæ animam per commoda expellit, quæ tunc mori affert, cum iucundius viuere est in exaltatione, in honore, in requie, in voluptate. Vis est & illa nauis, cum longè à Caphareis saxis nullis depugnata turbinibus, nullis quassata decumanis, adulescente statu, labente cursu, latante comitatu, intestino repente percussu cum rota securitate desidunt: non secus naufragia sunt vita etiam tranquille mortis euentus. Nihil refert integram abire corporis nauem, an dissipatam, dum animæ nauigatio euertatur. Atque ex his patet solutio ad quoddam argumentum contra immortalitatem animæ, quod sic habet: aut melius est animæ esse naturaliter extra corpus; & sic anima erit violenta in corpore: hoc autem est manifestè falsum: aut contra melius ei est, esse in corpore; & sic violentiam perpetuam parietur extra corpus: quod etiam est aperte absurdum. Ne ergo alterutrum horum sequatur, dicendum est, animam non posse esse naturaliter extra corpus, sed ab eo separatam necessario mori, ac perire. Responderi siquidem debet, iuxta dicta, animæ naturalem esse vtrumque statum diuisiue, tamen ambo sint inuicem inæquales, & alter altero perfectior: sicuti materiæ primæ naturæ sunt forma humana, & cadauerica, verbi gratia, quamuis aliqui inter se valde dispares, & quoad perfectionis gradum inæquales: ita neuter status animæ secundum se erit violentus, aut contra eius exigentiam, atque naturam: cum quo coheret, quemadmodum constitutum est, ut ei prout vnita status separationis sit violentus, & minime naturalis.*

11 Quares secundò, an anima secum deferat extra

corpus, species in corpore acquisitas, siue hæc distinguantur ab habitibus, siue sint ipsimet habitus; hoc enim parum refert ad præsens institutum. Respondeo deferre: sunt enim spirituales, & incorporeæ: quidni ergo ad instar ipsius animæ queant esse corpori superstitæ? Deinde anima separata à corpore memoriam habet rerum, quas egit, aut passa est, dum fuit vnita corpori, ut ex variis constet historiis, atque monumentis: at nonnisi per species, quas acquisiuit in corpore: recurrere enim absque necessitate ad causam primam, speciesque à Deo infusas parum philosophicum est. Denique, si qua ratione extincta corporis vita exstingueretur in anima species, quas corporata acquisiuit, maxime quia sunt valde imperfectæ, atque adeo nobilissimum separationis statum dedecent: at hæc ratio nulla est: earum siquidem imperfectio non tollit perfectionem aliarum, quæ possunt, & solent animæ separatæ à Deo infundi: haud est ergo quod earum imperfectio separationis statum, quamuis aliqui perfectissimum, & nobilissimum dedecet.

12 Quares tertio, an anima in statu separationis perfectius cognoscat, quam dum esset ad corpus vnita, atque contracta? Respondeo exploratissimum esse, quod perfectius cognoscat separatæ: habet enim in eo statu modum cognoscendi Angelico valde similem, licet eo nonnihil inferiorem: quis autem ausit dicere, quod Angeli non perfectius cognoscant, quam animæ nostræ corporis ergastulo clausæ, terraque, & caligine mersæ? Nec contrarium sentiunt, quamuis contra sentie videantur, B. Thomas, & Scotus apud P. Suarez lib. 6. de anima capite octauo, dum enim insinuant, minus perfecte cognoscere animam separatam à corpore quam corporatam, & hanc contra perfectius quam illam, intelligendi sunt de perfectione connaturalitatis, non vero de perfectione quoad claritatem, aliosque tendendi modos: ut magis perfecte cognoscere animam dum vnitur corpori, quam dum ab eo separatur, perinde tantum sit, ac connaturalis eam cognoscere pro priori illo statu, quam pro hoc posteriori. Quin etiam crediderim eos loqui de anima non secundum se, sed ex suppositione corporis dispositi, quod etiam, illam perfectius perfectione connaturalitatis cognoscere, si vnatur quam si sit separatæ.

13 Quares quarto, quam vim loco motiuam habeat anima separatæ à corpore? Censent in primis aliqui, eam ne seipsam posse mouere, propterea quod in sacris litteris dicatur, animam mendici portatam fuisse ab Angelis. Sed à principio quid verat inesse alicui supposito vim se mouendi, & tamen ab alio moueri ac portari? Nonne quotidie tale quiddam inter nos accidit? Coniectura ergo sententiæ negantis animæ separatæ vim ad se mouendum nullius est momenti. Rursus anima separatæ viuit: cur ergo more aliorum viuentium nequeat se de loco in locum mouere? Tandem existens in corpore, & se & corpus mouet: fortiori ergo corporeis vinculis soluta se saltem mouere, si velit, poterit.

14 Rursus alij, inter quos Theophilus Raynaudus in Thelog. naturali dist. 2. quaestione prima, articulo primo, numero duodecimo tuentur, animam in statu separationis non solum posse mouere seipsam, sed etiam corpora à quibus separatæ est. Ceterum contrarium verius est, ut tuentur Suarez disputatione trigesimaquarta, metaphys. sectione quarta, numero

numero vigesimotertio Hurtado disputatione duodecima metaphysicæ sectione secunda & alij plures. Ac probatur manifestissima experientia siquidem anima humerum verbi gratia informans, tametsi contigua sit brachio, quod demus esse demortuum, sensuque & motu vi paralytis destitutum, haud potest illud immediatè mouere, haud nisi mediante humero cui vnitur: non alia ratione nisi quia brachio non vnitur, sicut cæteris corporis partibus: anima ergo eget vnione ad corpus, vt illud moueat: alioqui cur corporis partem contiguam cui non vnitur nequeat immediatè mouere, vt dictum est? At hoc ipso quod eget vnione ad corpus, quo illud possit de loco in locum mouere, profecto haud poterit in statu separationis corpus vllum mouere: nullum igitur eo in statu valet mouere. Deinde, & eodem fere reddit, id discriminis videtur esse inter actum infor-

mantem & assistentem, quod hic, vt moueat corpus non egeat ei vniri, egeat autem ille: quidni ita sentiendum sit de actu informante relate ad assistentem? At anima rationalis est actus informans: ergo, &c. Denique si qua ratione posset anima separata mouere corpora, maxime quia valet intelligere, nec vtcunque, sed perfectius quam in corpore, & per cognitionem quidditativam terminatam, tum ad corpora, tum etiam ad seipsam & substantias Angelicas, ac separatas, quod maioris perfectionis est, quam corpora mouere, vnde videtur sequi hanc vim motricem corporum ei à fortiori pro eo statu tribuendam: atqui hæc ratio nulla est: siquidem & perfectius longe est, intelligere quomodolibet, quam audire, aut olfacere: & tamen illud prius, non hoc posterius conuenit animæ separata: similiter: ergo, &c.

LIBER DECIMVS.

De ente incorporeo negativè sumpto siue spirituali, completo: nimirum Angelo ac Deo.

TRACTATUS I.

De Angelo.



CIVS existentiam, vt ab ea auspicar, suadeo in primis autoritate sacræ Pagine. Quid enim euidentius eo Actorum 6. *viderunt faciem eius, tanquam faciem Angeli.* Quid clarius eo Regum 1. 2. cap. 14. *Tu Domine mi Rex sapiens es, sicut habet sapientiam Angelus Dei.* Mille alia id genus: Quæ propter scholastici communiter docent, de fide esse, angelicam creaturam esse à creatore conditam, atque existentia, & luce donatam. Cui scholasticorum definitioni præluxit scholasticæ Theologiæ Parens Augustin. in Psalm. 103. ibi: *quamuis non videamus apparitionem Angelorum, abscondita est enim ab oculis nostris, & est in quadam republica magna Imperatoris Dei; tamen esse Angelos nouimus ex fide, & multis apparuisse scriptum legimus, & tenemus, nec inde nobis dubitare fas est.* Deinde Energumeni res longe positas, & occultissimas manifestant, idiomatibusque sibi antea ignotis vtuntur, non secus ac si essent vernacula. At id non alia ratione, nisi quia à spiritibus quibusdam angelicis, & intellectualibus arrepti, eorum vi, & agitatione ad prædictos coguntur effectus: negari ergo nequit, quin alius ordo substantiarum insensibilium, ac spiritualium in rebus existat.

Quid enim? An Deo tribuendi sunt effectus illi, quos cernimus, ac miramur in arreptiis? At hoc falsum est: siquidem exorcismi, & adiurationibus vtitur Ecclesia contra spiritum illum, quo torquentur energumeni, eumque increpat, ac diris deuouet: creatus igitur spiritus, & Angelicus, siue demoniacus est, non diuinus: quippe contra hunc nullæ ad-

iurationes, increpationes nullæ valerent: nec frustraneum modo, sed etiam impium foret, iis aduersus illum vti. An propterea, vt alij existimant, effectus de quibus agimus, oriuntur à melancholia nimia hominem ab homine pellente, eiusque complexionem vitante? Sed ne hoc credibilis. Quorsum enim Ecclesiastici exorcismi contra melancholiam rationis, ac sensus expertem, nec eis moueri magis capacem, quam si dura silex, aut ster Marpesia cautes? Præterquam quod ad comparandam ignoti idiomatis notitiam necessaria sunt species, quas nescio quomodo possit infundere melancholici humoris copia, & exuberantia, cum ne iis sensum acquirendis prodesse soleat, sed potius valde obesse, vt experientia testatur.

Nec valet quod respondent alij, effectus hos à luna, & aliis syderibus oriri. Quamquam enim *Demon vexet corpus lunaribus incrementis, vt esse luna credatur, quod est diabolici criminis*, pro eo ac his ipsis verbis animaduertit Chysolog. sermon. 51. cæterum quod secus se res habeat, exploratissimum est: nam etsi luna influxu suo determinare possit canem verbi gratia, aliudue animal irrationale, ad id vt operetur aliqua, quæ non sunt supra vires eius naturales: at præstare non potest, vt faciat ea, quorum est ex natura rei impotens: alioqui efficere posset, vt aqua calefaceret, & ignis infrigidaret, non obstante alterutrius elementi ad alterutrum effectum impotentia naturali: & sic luna operaretur naturaliter effectus supernaturales; quo nihil magis ridiculum. Atqui canis verbi gratia est naturaliter impotens loqui humano modo vocisue humanas, aut dearticulatas edere: canis igitur Simonis Magi; quem humana voce locutum testatur Nicephorus lib. 2. cap. 27. non id præstitit ope, ac ministerio lunæ, sed potius arte, ac præstigiis mali Demonis, id in eo operantis, quod ipse non poterat naturaliter operari. Similiter ergo quod energumeni ignotis idiomatis vtantur,